

vet etiam agnoscendarum; siquidem per Legem agnatio peccati, & ubi Lex posita, ibi poenæ metu circumspecta magis ac sollicita est peccatorum fuga: Et ut *pedagogus ad Christum* foret, quandoquidem agnoscetes impossibilitatem consequendi salutem ex Lege, ad Christum fide apprehendendum manu quasi ducuntur, eumq; à Deo sibi factum justitiam lætantur, ac totò animò plenâq; fiduciâ gloriantur.

§. IIX,

NON sine insigni fructu ac emolumentò fuit ea in hæreditatem ac filios Dei assumptio, sed in nomen, familiam, bona Dei adoptantis, quin sacrorum etiã communionem transivêre, (quod in adoptionibus Romanorum fieri solitum annotavimus §. III.) qui etiam ex gratiâ Dei cum Abrahamo pactum illud erigentis consecuti sunt felicitatem. Dicti sunt adoptati à Deo filii ejus, hujusq; nomine honorati, Exod. IV. 22. Os. XI. 1. quemadmodum qui adoptabantur apud Romanos, ab adoptante appellationem accipiebant; inq; familiam Dei, ejusq; bona, sacrorumq; communionem transivêre, sic allecti à Deo in amicitiam, ex pacto cum Abrahamo initò, cujus annexa promissio sigillò justitiæ in circumcisione firmata hæc erat, quòd Deus *Abrahami ejusq; seminis Deus futurus esset*, Gen. XVII. 7. Præterea, & servos à Domino

mino